M. JUSTINI WEZELII, NORIMBERGENSIS, ORATIO VALEDICTORIA DE MIRA HOMINUM...

Justin Wezel, Valenti Gonzaga

L. B. S. D.

M. JUSTINUS WEZELIUS,

In Illust. Heilsbronnensi Gymnasio hactenus Collega, nunc legitime vocatus

RECTOR GYMNASII ÆGIDIANI

in alma Norimbergg. Civitate.

QVanquam in eo conveniunt hominum animi, quod natura sua sunt Spiritus, innato quodam lumine coruscantes, ad dignoscendas, quæ ipsis offeruntur, rerum habitudines; facultate item alia non minus admiranda instructi, cujus ope in id, quod honestum sibiq; bonum judicarunt, absq; mora feruntur, illud autem quod a virtute alienum ac noxium cognoverunt, aversantur: tanta tamen inter eos deprehenditur varietas, ut in magna etiam societate vix duo tresve reperiantur, quorum aut ingenii acumen in ista, ad quæ pervestiganda se parant, æqualiter penetret, aut voluntas ad eadem vel prosequenda vel fugienda pariter sit proclivis. Nec dubium est, hanc ipsam animorum diversitatem, seclusis nempe quæ peccati sunt, DEO, sapientissimo Spirituum omnium præter se Conditori, prudentia quadam peculiari complacuisse. Nam quemadmodum ille solus est, humana qui corpora tum ab initio pro lubitu formavit suo, tum ad hanc horam in abditissimis uteri materni

tene-

tenebris quodlibet eorum propria convestit figura: Sic ejusdem summi Numinis opus olim fuit & adhuc est tam dissimilibus corporibus, ceu bellissimis domiciliis non minus dispares animos tanquam totidem habitatores immittere, vel elegantissimis istis variaq; instrumentorum supellectili ornatis officinis artifices præficere, dotibus æq; multiplicibus instructos. Si quis illas divinæ sapientiæ rationes, secundum quas perpetua vita cum hominibus, ab ultima hujus mundi origine, jam egit, nec dum cum iisdem agere desinit, paulo penitius intuetur, illico deprehendet, aliter fieri non posse, ob universam earum œconomiam, quin prudentissimus iste rerum humanarum Moderator ejusmodi animorum diversitatem amet, alat, atq; conservet. Sive enim prima illa nascentis mundi secula consideremus, sive renatum quasi ex diluvii undis contemplemur orbem, & heic rursus vel eam annorum seriem, quæ ante dilabebatur, quam DEI Filius, assumta hominis natura, se conspicuum dedit, vel alteram, quæ inde originem capiens ad nostra extenditur tempora; patebit, Deum successiva quadam & multiformi donorum erogatione semper fuisse usum. Non enim simul ac semel gazam effudit suam, sed de immensis opum thesauris nunc hanc nun illam, prout ipsi visum fuit, reclusit arculam, atque ad distribuenda, quæ continebantur, bona, pro arbitratu, modo qui ceteros autoritate anteibant, modo abjectos & tenuissimæ sortis homines adscivit. Alios quippe constituit, ut vitæ hujus terrenæ usum commodiorem, amœniorem & tutiorem redderent; alios ut μυστικῶς intraq; mentes nostras adornandi regni cœlestis opes illustrarent; alios ut futuræ demum ac inter purissimos spiritus acquirendæ salutis promissiones subinde luculentiores offerrent; alios ut spem perpetuæ beatitatis atque possessionem illius olim certo secuturam magis magisq; firmarent & roborarent. Ad hæc autem rite peragenda quis non videt multiplici animorum dispositione fuisse opus? adeo ut nunc splendidior quædam aut quaqua versum rutilans sapientiæ lux Dispensatoribus illis debuerit affulgere atque ex iisdem ad alios diffundi; nunc

languidior paulo & inter nocturnas nebulas quasi micans facula scopo satis fecerit divino. Hinc, de perfectissimo primum ut dicam, Homo JESVS Christus, quoniam Μεσίτης esse debuit inter Deum, tot seculorum male factis gravissime offensum, & inter homines, Creatorem suum ac Benefactorem maximis per omnem vitam injuriis afficientes atq; peccatorum sordibus offendentes; necesse fuit & officii hujus amplissimi honoribus longe convenientissimum, quod cum summa Numinis veneratione dicimus, ut Sanctissimo DEI Spiritu plenus, omnes & sapientiæ & scientiæ Thesauros intra se reconditos, imo divinitatem ipsam σωματικῶς secum habitantem complecteretur. Omnem enim cœlestis Patris voluntatem de redimenda æternumque beanda hominum gente pandere non solum, sed effectam etiam dare, benignissimo DEI erga nos miseros consilio, jussus est imo liberrime voluit. Quæ igitur alia quam consummatissima heic requirebatur in omnibus animi perfectio & Virtus absolutissima? Porro ab secundo Adamo si licitum est ad primum descendere; hic artificiosissima μηχανικωτάτε Conditoris manu ad id inter alia factus erat, ut ab ipso nationum propagines descenderent omnes; primas quoq; scientiarum lineas & Prudentiæ regulas acciperent; nec non divinorum operum, cumprimis vita sensuq; præditorum cognitionem statim, cum educatione haurirent; utpote quibus singulorum naturas idem brevissime indicaret. Hac de causa & quia vitam animumq;, harum rerum notitia florentem, immediata Numinis inspiratione per nares indeptus est; quid ni ceteros ex se postmodum natos & bonorum affluentia, & Virtutum præstantia, & intelligendi perspicacitate, verbo, animi amplitudine superaret longissime? Quanquam sagacissimi serpentinaq; pelle insidias occultantis adversarii astu omnibus istis facultatum prærogativis simul exutum fuisse, proh dolor! scimus & in nobis ipsis quotidie experimur. De Salomone, tertio inter Israëlitas Rege, cui non, qui sacrarum paginarum fidem habet ratam, constat, quod ex divinis promissionibus ditissimi, felicissimi, cumprimis tamen sapien-

pientiſſimi & prudentiſſimi debuerit eſſe Principis exemplum? Sed unde, quæſo, hujus ampliſſimæ laudis menſuram adimplebat, niſi animo, quo præditus erat omnium ſubtiliſſimo omniumq; acutiſſimo? Hoc enim ſolo factum eſt, ut & de inſtantibus veriſſime judicaret, & de futuris callidiſſime conjiceret; (id quod de Themiſtocle ſuo prædicare poſtmodum ſolitus eſt Thucydides) de rerum autem abſtruſiſſimarum naturis & affectionibus diſſereret quam accuratiſſime, quam diſtinctiſſime, ut vel Bœotica ænigmata riſus jocusq; ipſi eſſent. Quid quod a popularibus ſuis hodienum ſolus inter homines judicatur fuiſſe, qui perfectam miſtorum ἀνάλυσιν, ſimplicium autem & miſcendorum juſtam proportionem ac manantem inde compoſitionem exacte tenuerit, atq; adeo quidlibet ex quolibet producere facili opere potuerit. Iſtud vero inter fabulas, ab antiquis efficτas, quibus vana Judæorum gens incredibiliter delectatur, referendum eſſe, quis non videt mecumq; profitetur? Hoc alterum quin in eum vere convenerit non eſt dubitandum; quod quidem aliquot ſeculis poſt demum ſcite dictum fuit: Reges aut debere philoſophari, aut Philoſophos regnare. Hujusmodi animos igitur, & qui ad eos accedunt proxime, aquilas imitari fere dixerim, quibus in more poſitum eſt, ut altiſſima quæque petant, absque labore multo, absque trepidatione, absque periculi & præcipitationis metu, maxima cum voluptate. Imo dum in ſublimi pendent, & ubi æther eſt puriſſimus, gyros repetunt ſuos, eædem minima etiam, quæ aut repunt infra, aut in pratis oberrant, aut in ſylvis deliteſcunt, diſtincte oculorum acie contueri ſolent; vel, neglectis, in terra quæ geruntur, ad ſolem ſe convertunt, ignesque illius perpetuo undantes non ſine oblectatione immoto vultu conſpicantur. Pari ratione de quibus diximus animi ad ſublimia, ad ardua, ad difficilia, ad præſtantiſſima contemplanda non modo ſunt aptiſſimi, ſed quæ aliis retruſa, longinqua & remota nimis videntur, ipſi tanquam proxime ſe poſita & in media luce collocata intuentur atque exerto quaſi digito monſtrare quam facillime

possunt. Hæc autem animorum vis cum sit, quis mirabitur, tam sacras quam profanas historias, notatis, quæ memoria digna videbantur, exemplis passim scatere, quibus doceatur, divina consilia de conferendis in humanas societates bonis, de infligendis item pœnis, & immittendis aliis malis, quoties complementum debebant nancisci, pro diversitate sua, diversis quoque animis cœlitus fuisse concredita. Non enim in mole corporum, ossiumque ac lacertorum robore vires quærendæ sunt, quibus per homines Deus in hominibns tot exsecutus est & adhuc exsequitnr facta illustrissima: sed animi sunt, quos iis patrandis aptos reddit & igne suo cœlesti afflat, ut nec periculis ullis deterreri, nec illecebris ullis deliniri possint, quo minus occasione data perficiant, ad quæ peragenda destinabantur. Illustrandis his inservire poterunt, quæ de horrenda Ægyptiaci quondam regni periodo, deque mirabili Israëlitarum liberatione antiquissimus historiæ sacræ Scriptor memoriæ prodidit. Ex servitute populum suum, qua Ægyptii oppressum eum tenebant, in pristinam libertatem vindicare constituerat Deus, & promissionum suarum de tradenda Cananæorum terra fidem solvere. Res autem Israëlitarum adeo erant exiles, ut paucorum annorum spatio universi fuissent fracti contritique; cum qui medelam huic malo ferre poterant, nollent, & qui volebant, nequirent. Matris cujusdam animus mire pius prolisque suæ amantissimus ingentem huic spectaculo catastrophen inducere, aut prima potius subsecuturæ commutationis initia moliri debebat & conabatur. Spretis enim præsentissimis vitæ periculis, filiolum suum, de cujus fatis factisque nil quicquam subolere sibi poterat, contra sanguinariam truculentissimi Regis Legem, aliquot menses clam domi suæ alebat, & cessante mox clanculario hoc vitæ conservandæ medio, arculæ ex alga confectæ & resina oblitæ impositum, undarum clementiæ sic vagientem committebat. Paulo post Filiæ Rege isto crudelissimo prognatæ animus quasi succenturiatus approperabat. Hunc enim adeo mitem, adeo mansuetum, adeo blandum suavem-

vemque formaverat Deus, ut, circa idem expositionis tempus, cum lavandi consilio ad aquas prodeambularet ista fœminarum Princeps, fiscellam undis innatantem, simulac conspexerat, sibi apportari, & pusionem, alias Patris jussu mergendum, conservari, Parentibus etiam addita mercede alendum dari, tandemque omnibus doctrinis impertiri juberet, filii loco habitum. His animus accedit ipsius pueri, quem quod aquis extraxissent, Mosen apellitabant; is a Sapientissimo mentium Productore ita formatus fuit, ut, postquam ephebus ille factus est, omnem aulæ Regiæ splendorem, omnem purpuratorum dignitatem nominisque majestatem nihili penderet, atque amplissimas Regum opes abjectæ durissimaque servitute ad incitas jam redactæ nationis suæ sordibus post haberet, voluntarium deligens exilium; contra quam ab hominibus in ætatis & dignitatum flore constitutis fieri alias consuevit. Interjecto tempore ille idem fugitivus Moses, optimi Numinis jussu suasuque redux, fratrem fandi se peritiorem sibi adjunxit; quorum adventu, cum plurima animo strenuo edidissent facinora, quæ vires naturæ superabant universas, tanta rerum facta est conversio, ut florentissimum antea Ægypti Regnum non modo concuteretur validissime, sed everteretur ferme penitus; Israëlitarum autem fortunæ tantopere crescerent in dies, ut maximis rebus gestis, nec minoribus defuncti periculis, præda onusti, eam tandem victores ingrederentur terram, quam interposito jure jurando Deus ipsis olim erat pollicitus, Remp. constituturis felicissimam splendidissimamq; quam diu præceptis divinis morem gerere non recusaverint. Longũ est enumerare, quæ paria horum in profanis traduntur historiis. De Cyro enim ac Dario Histaspis Filio, Persarum Regibus, quando refertur, quod uterque privatus virtute regnum sit adeptus; aut ex Macedonum genere, quod Philippus Amyntæ filius & Alexander M. multo ceteros antecesserint rerum gestarum gloria; aut quod Siculus ille Dionysius prior singulare perpetuumque imperium in bellicosissimo populo, qui libertate fuerat usus, virtute sibi pepererit, magnaque retinuerit felicitate; aut ex Afrorum gen-

te

te quod Hannibal ſolus Romanorum, opibus jam tum valentium, terror ſit factus; aut Q. Fab. Maximus, ille Romanorum Dictator, cunctando reſtituerit rem; Pompejus autem M. adoleſcens adhuc undique preſſam ab hoſtibus Remp. paucis diebus feliciter vindicaverit; J. Cæſar contra, qui ſecutus eſt, & hunc maximis exercitatiſſimisque copiis inſtructum deleverit, & totius Reip. procurationem ad ſe ſolum converterit; Octavianus tandem, hujus ex ſororis filia Nepos, plane peculiari nomine Auguſtus vocatus, ex parvis maximeque turbidis initiis ad tantam evectus ſit dignitatis ac Majeſtatis amplitudinem, quantam nec antea nec poſtea habuit quiſquam: Veſpaſianus denique totam Judæorum Remp. cultusque Moſaici rationem uno impetu deſtruxerit, ignibus abſumpto templo deletaque regia illa Hieroſolymorum urbe: Hæc, inquam, & his ſimilia plura cum relata legimus, quis negabit animorum diverſitate illorumque hinc magnitudine illinc infirmitate, quicquid eorum ſit geſtum, comprimis accidiſſe. Jam ſi de Artium Inventoribus, de ſcientiarum Amplificatoribus, de Literarum cultoribus, de Philoſophiæ, Mathematicarum doctrinarum, Legum item & Medicæ facultatis indagatoribus, quanta nempe animorum diverſitas in ſingulis hiſce generibus fuerit deprehenſa, dicerem, campus certe tam vaſtus aperiretur, ut ad eum percurrendum multo tempore multoque labore indigerem. Animorum igitur & mentium officinæ quod paſſim per orbem & olim fuerint inſtitutæ & adhuc magnis Principum atque Civitatum ſumtibus adornentur atque ſtudioſe conſerventur, quis eſt qui leve quiddam aut inane, & non ſummis potius laudum præconiis digniſſimum, atque præcipuo Numinis in homines favori transſcribendum arbitretur? cum conſtet, animorum vi plurima bona in omnem vitam, tum publice tum privatim, in ſacris non minus atque profanis haud raro fuiſſe collata, ſi recte ac ad honeſtatem fuerunt inſtituti; contra vero infinitis malis non ſingulos tantum homines, verum integras domos, ſocietates, regna, nationes ac populos eſſe implicatos, quoties vel negligebantur

peni-

penitus, vel minus accurata in ſcholis & Gymnaſiis eorum ratio habebatur. Sed cur Gymnaſiorum indoles, quæ ingeniis cum cura exercendis fuerunt excogitata, & paſſim conſtituta, toties variet, hominum etiam opiniones de pretio illorum in pauciſſimis conveniant, in quamplurimis vero longiſſime a ſe invicem diſſideant, utique attenta cognitione non indignum debet videri. Hinc quia rerum noſtrarum ſtatus, in præſenti qui eſt, varias circa idem illud acroama ſuggeſſit cogitationes, nec minus aliorum ſententias ut inveſtigatas conferremus anſam nobis præbuit, peculiari Oratione *de hominum diverſitate in dijudicando Gymnaſiorum pretio* diſſerere conſtituimus. Etenim divina Providentia, quam in omnibus venerari pie jubemur, nuper contigit, ut ab Inclutæ *Reip. Norimbergenſis*, patriæ merito dulciſſimæ, *Patribus Conſcriptis* Rectoris Provincia in Gymnaſio Ægidiano poſt hæc adminiſtranda, præter omnem & meam & meorum opinionem, abſenti mihi mandaretur, ſuffragante primum, totius deinde Prudentiſſimi Senatus Auctoritate publicis literis me evocante Magnifico Generoſisſimorum *Dnn. Scholarcharum* Collegio. Cum itaque *Sereniſſima Domus Brandenburgica*, inter Francones quæ luce coruſcat ſplendidisſima, & cui hactenus operas ego conſecravi detulique meas ſubmisſisſime æque ac ſtudioſisſime, abeundi *Heilsbronna*, novumque iſtud, de quo dixi, munus in *Patria* capeſſendi poteſtatem, conceptis verbis, meram gratiam ſpirantibus, clementisſime mihi decreverit; reliquum eſt, ut *Deo* jubente, *Principibus* annuentibus, ſtatione mea, cui decem & duobus annis invigilavi, bona pace miſſus, decedam. Vale dicemus ergo Jll. ad ſalutis fontem Athenæo; ſimulque omnibus, quot quot eidem alendo, regendo, adminiſtrando, ornandoque præſunt, pro ea, qua nos proſecuti ſunt, & adhuc proſequuntur, gratia & benevolentia gratias agemus publice; illis autem, qui ſalutares ex hac ſcaturigine doctrinarum hauriunt undas, ceteriſque incolis & accolis fauſta precabimur omnia. Sicut ante hos XII. annos accedentem me ad hunc locum, quo jam diſcedo, publiceque

verba facientem ii faventibus audierunt animis, qui tum aderant: ita ſpem alo minime dubiam, fore, ut nunc abiturienti & ex eadem cathedra ultimum dicturo, quotquot aſſunt, mentes pariter promtas, aut etiam promtiores, aureſque patulas commodent. Vos Patroni, Collegæ, Fautores, Amici, Cives ac Hoſpites, ſi non extremo ponitis loco preces, quibus veſtram hac vice rogo præſentiam, adeſte cras hora octava antemeridiana, loco conſueto, & cognoſcite, quid ſentiendum vobis ſit, de mira illa hominum diverſitate in dijudicando Gymnaſiorum pretio; mihi vero ſimul facultatem date pernoſcendi, tum quo pretio abſens eorum debeam æſtimare animi propenſionem, qui me præſentem hactenus inque literis ac literarum cultoribus verſatum præcipuo dignati ſunt amore; tum quanto doloris ſenſu conjunctum ſit, eo loco ſi diſcedimus, ex quo bona in nos vitamq; noſtram promanarunt longe plurima. P.P. Heilsbronnæ d. 18. Januarii, Chriſtianorum A E R. clↃ IↃ ccv.

I. N. J.

I. N. J.

DEcimus ſecundus jam vertitur annus, *Viri, Max. Reverende, Excellentiſſimi, Perquam Strenue, Præclariſſimi, Plurimum Reverendi, Nobiliſſimi, Integerrimiq; Patres & Fautores Jll. hujus Gymnaſii ampliſſimi, Domine Socer filiali animo proſequende, Dnn. Patroni, Collegæ & Affines exoptatiſſimi, Domini hoſpites honoratiſſimi; tuq; ſtudioſæ juventutis corona cum genere nobiliſſima, tum dotibus inſtructiſſima & literarũ cultu florentiſſima,* decimus ſecundus, inquam, jam vertitur annus, ex quo, relicto academicorum ſtudiorum ſtadio, ad hunc uberem Salutis & Muſarum Fontem denuo delatus, inq; eorum numerum, qui publice heic bonis artibus & literis docendis occupantur, ſum cooptatus. Exordiũ a Perſona & officio Oratoris.

Illuſtrisſimis enim Dominis Conſiliariis Intimis, qui tutorio nomine ac regimine, his Burggraviatus infra montes ſiti terris ſumma cum poteſtate tum præerant, pro peculiari ſuo erga me patrocinio placuerat ad tertii Collegæ locum, utpote vacuum iis temporibus, me clementer evocare; vocatum Magnificis utriusq; Conſiſtòrii conſesſibus commendare; commendatum literisq; publicis inſtructum, tum amplisſimo veſtro Docentium Præfectorumq; ordini, tum integro huic diſcentium agmini ſiſtere.

Spartam autem hanc, cujus tunc obeundæ ac exornandæ initia facere debueram, illotis, quod ajunt manibus capeſſere, nec mihi, nec aliis, quorum nutus inſtar mandati fuerat, juſtum videbatur; ſed ſatius putabamus, ſi moribus longa retro conſuetudine receptis ſermone publico publice poſthac ſuſtinendorum laborum caperem primordia.

Ex hoc itaq; loco, ad dicendum utiq; amplissimo, Sanctissimi Numinis adspirante gratia, sub Serenissimorum Principum auspiciis felicissimis, jubentibus Illustrissimis & Magnificis Dominis Consiliariis, audientibus vobis, Viri omni honoris cultu prosequendi, aut qui tum vestri loco aderant, auscultante item numerosa lectissimæ Juventutis caterva, publice verba feci, & sic docendi munus sum ingressus.

At enim vero numquid boni & statione mea digni intra hos duodecim annos in Illustri hoc optt. artt. Gymnasio præstiterim? num eorum, qui curæ meæ commendati fuerant, vera nec fucata commoda promoverim? num pietatem, probitatem, justitiam, temperantiam & reliquas virtutes tum ipse coluerim, tum ad eas colendas Juvenibus hisce ac Adolescentibus optimæ spei Autor sedulo extiterim? num ad literarum studia cum fructu tractanda viam iterq; iis fideliter aperuerim? num deniq; ad conservandam & augendam Ill. hujus Fontis salutem & famam quæ faciebant, cum cura egerim? verbo, num salus publica suprema mihi lex semper fuerit, & sic meas commoditates publicis commoditatibus post habuerim? nec ne? meum non est statuere.

DEus cordium scrutator, & qui qua ratione, quove animo, singula ab singulis fiant, solus optime dispicere potest, mearum etiam actionum causas, modum & fines novit distinctissime. Principes vero Serenissimi, Domini ac Nutritores nostri munificentissimi, horumq; Amici, Consiliarios dico undiquaq; illustres, dum meo vivendi modo, quem hactenus tam in publico quam privatim colere sum solitus, clementissime ac benigne acquiescunt; Vosq; Viri pl. venerandi dum calculo vestro illum non reprobare mihi fuistis visi; quid est, quod majori me lætitia perfundere aut etiam feliciorem reddere possit? Præsertim jam cum abitum a Vobis & a dulcissimo studiorum & consuetudinis vestræ commercio meditari cogor; qui natura sua vix alius quam tristis esse potest.

Et nisi omnibus Vobis, quotquot heic confluxistis, jamjam constare arbitrarer, dicerem, quæ causa me impulerit,

ut

ut locum hunc denuo conſcenderem. Nam poſtquam DEO humanarum rerum prudentisſimo Moderatori viſum eſt, per Illuſtrem inclytæ Reip. Norimb. Senatum me poſtliminio quaſi in Patriam lectisſimam revocare, ſtationiq; deſtinare, quæ ſi ſcopum conſidero, maxime ardua; ſi concatenatos laborum articulos, gravisſima, ſi honores onerosisſima, ſin extrema ejus vel jucundisſima, vel acerbisſima eſſe deprehendetur; neutiquam committendum putavi, ut clam, aut inſciis Vobis, eam, cui hactenus inter vos præfui, deſererem provinciam, aut novæ me accingerem adminiſtrandæ.

Quocirca quemadmodum duodecim abhinc annis Ill. hoc Gymnaſium, & quot quot in eo Regentium & Parentium numero comprehendebantur, publice ſalutavi, measq; opellas, pro virium tenuitate munerisq; ratione lubens obtuli: Ita quando hunc locum relinquere, & ad aliud Bb. Artium emporium me conferre jubeor; publice pariter omnibus & ſingulis prius valedicere, cumprimis tamen ſerenisſimæ Domui Brandenb. felicitatis & dignitatum augeſcentem ſubinde amplitudinem ex animo ardentisſimis votis divinitus apprecari, Vobis item, Viri Oo. Oo. Hh. pro tam multiplici benevolentiæ ac favoris in me plane peculiaris argumento gratias agere, florentiſſimæ autem huic lectiſſimorum Juvenum & Adoleſcentium Coronæ mei memoriam commendare, ac Fontibus hiſce mihi vere ſalutaribus non intermorituram ab DEO O. M. perennitatem exorare conſtitui.

Quæ ut eo commodius perficiam, non erit inconſultum, ſi, quoniam ex Literarum Gymnaſio ad aliud non ita pridem inſtauratum, inq; ampliſſima Civitate inſtructum ſum abiturus, ſpectantem huc dicendi materiam mihi delegero, & valedictioni meæ publicæ paucula de **Mira hominum in æſtimando Gymnaſiorum pretio diſſimilitudine ac inconſtantia** præmiſero. Tranſitio ad Propoſition.

Pro candore veſtro ſingulari, quo me dicentem audire cœpiſtis, ſpero confidoq; fore, ut benevolis auribus quæ de dicto argumento in medium ſum prolaturus, pariter acci- Capt. Benev.

 piatis,

piatis, & ſic favori veſtro in me maximo coronidem quaſi imponatis; prout quidem ea, qua par eſt obſervantia & animi promtitudine obnixe contendo.

Tractationis Membr. I. Utrum ſcholæ ſint utiles ac neceſſariæ, nec ne? a.) affirm. b.) negat.

UT igitur telam exordiamur, mira hominum in æſtimando Gymnaſiorum pretio diverſitas vel inde compareat, dum plurimi, quibus ex meliori præcordia Titan finxit metallo, arbitrantur, Respp. ſcholis non magis carere poſſe, quam Sole mundum, easdemque plane neceſſarias eſſe omnibus, qui morum honeſtati ſtudere, ac animum ſcientiarum luce collustrare cupiunt. Alii contra palam affirmare non erubeſcunt, ſcholis in Rep. nihil pernicioſius cogitari vel cum paulo mitiores ſunt, absque ullo ſingulari detrimento eas intercidere poſſe.

Sententiæ b) multorum populorum exempla & conſuetudo favent;

Horum utriq; ſi, quod afferunt, hominum factis ſuperſtruunt, neſcio ſane, quibusnam iſtorum annalium volumina & conſcripti rerum a vetuſtiſſimis etiam gentibus per orbem geſtarum libri palmam tribuant? Nam præſentia, quibus ipſi nos vivimus, tempora ſuo comprobant calculo, diverſas easque potentes in terris eſſe nationes, quæ ſatis tranquillo regiminis utuntur ſtatu, nec tamen unquam ſcholis, aut publicis docendæ juventutis cauſa inſtitutis conventibus vacaverunt.

Sed quo magis in abſtruſas priſcorum ætates inquirimus, eo dilucidius apparebit, plures ſemper fuiſſe populos, a quibus literarum ſtudia exularunt, quam in iisdem evehendis & ampliandis operam qui navarunt ſtrenuam. De Americanis enim, Africanis, Aſiaticis Indicisq; gentibus plurimis ut nihil dicam, quippe quas, paucis exceptis, hodie beluarum more vivere, ex Europæorum illuc ſuſceptis navigationibus conſtat; de Turcarum, Scytharum, Ruſſorum, Finnlandiæ, Norwegiæ imo & Scotiæ civitatibus non paucis, cui noſtrum apertum non eſt, eas absq; ſcholarum & literarum uſu vitam non modo degere, ſed Legibus etiam publicis harum uſum rudi plebeculæ interdum interdixiſſe?

Ex antiquitate ſi Ægyptios, Chaldæos, Arabas, Hebræos, Phœnicas, Græcos eximamus, parum abeſt, quin reliquos orbis populos plus quam Cimmeriis involutos fuiſſe tenebris, tum

tum quoad morum, tum quoad literarūm ſtudia ſerio queamus affirmare.

Romanorum Remp. quam hic objicere forte aliquis poſſet, ex Paſtoribus rudibus, imo & latronibus coaluiſſe, atq; per aliquot annorum ſecula literis & bonarum Artium cultura fuiſſe alienam, ad ea nimirum tempora, quibus Græciam ſub ſuam redegerunt poteſtatem, quis illius populi tam eſt ignarus, qui ſcire ſe illud mecum non fateatur?

Huc omnino ſpectat illud, quod Tullius in Orat. pro Archia poſuit; *Ego*, inquiens, *multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu prope divino per ſe ipſos & moderatos & graves extitiſſe fateor: & illud adjungo, ſæpius ad laudem atq; virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam.*

Verum peſſime cum toto hominum genere comparatum eſſet, ſi, quæ fugienda, quæ item expetenda ſint, ex aliorum factis, nec ex veris rerum cauſis diſcere nobis opus foret. Jam tu quisquis es, miſer ſcholarum Gymnaſiorumq; contemtor & oſor, age, confer, ſi placet, rationes, quibus Gymnaſiorum neceſſitas inq; Rebuspublicis ſumma utilitas ab aliis jamdudum ſatis fuit aſſerta, cum illis, quibus tu & ſimiles tui homunciones easdem ſcholas civitatibus humanarumq; ſocietatum circulis exeſſe jubetis. De corio ſi tum luderetur tuo, quantum abeſſet, ut non Midas alter vel Marſyas fieres excoriatus? Sententia a.) rationibus

Quodſi vero exemplis pugnare mavis, nonne DEVS, Numen illud maxime venerandum ſcholam in Paradiſo inſtituit? nonne ſcholas a Patriarchis, ſcholas a Prophetis, ſcholas a Regibus in populo fieri ſuo multoties juſſit? Nonne Chriſtus, in quo omnes omnisSapientiæ & Scientiæ theſauri ſunt abſconditi, ſcholam Apoſtolis, ſcholam aliis diſcipulis, ſcholam toti Judæorum populo, ſcholam omnibus gentibus per eos, quos divino ſpiritu inſtructos miſit, Legatos aperuit? nonne populi, nationes, gentes, civitates omnes, quæ paululum ſaltem operæ mitioribus impenderunt moribus, ſcholas amarunt, erexerunt, foverunt? & exemplis nititur

mira igitur jure hæc hominum diversitas.

Quis igitur non miretur, tantam inesse hominibus mentis inconstantiam & diversitatem dicam an perversitatem, ut non pauci olim sint reperti, atq; hodienum reperiantur, qui scholarum ac Gymnasiorum precia magna esse, horumq; usum Rebuspp. conducere turpiter inficiantur?

Membr. II. Utrum publicæ privatis præstent scholis, nec ne?

a.) de hac Prisci jam solliciti fuerunt quæstione.

SEd dum hos miramur, ecce nova se prodit circa hæc eadem animorum dissimilitudo! Neminem enim vestrum, AA. &c. latere credo, jam Priscorum ætate tum inter Græcos & Romanos, tum inter alios etiam populos, diu nec sine cura fuisse quæsitum, utrum scholæ publicæ, quibus Gymnasia vel maxime sunt accensenda, privatis intra singulorum Patrum familias domicilia susceptis adolescentiæ institutionibus præferendæ sint, nec ne? Fab. Quintilianus, Cicero, & ante hos Aristoteles, Xenophon, Plato aliiq;, prout quivis horum suæ, in qua degebat, Reip. aut alias nutanti veritati obstetrices ferre manus est conatus, tanta cura in utramq; partem sermones hac ipsa de re instituerunt, ut non sine animi delectatione lectorem dimittant suum.

b.) publicis privatas postponendas esse judicatur.

Expensis tamen omnibus & accurata judicii lance exploratis, vix erit, qui non publicis scholis suas, quibus gaudent, prærogativas ambabus, quod ajunt, manibus largiri velit, easq; privatis ob rationes non paucas, præstare lubens confiteatur.

c.) difficultates, quæ premunt domesticam institutionem, recensentur.

α.) ex parte Patrum familias.

Nam ut alia omittam, quotusquisque Paterfamilias doctrinis ita instructus est, ut ipse filiorum formatorem agere possit? Quotusquisq; ab aliis officii partibus vacui temporis tantum habet, quantum teneris animis erudiendis requiritur? quotusquisque tanta duratus est patientia, ut suorum æque ac aliorum vel tarditatem vel ceteros adolescentiæ nævos æquo ferre animo & corrigere sustineat? Quotusquisq; non ad Garamantas vel his etiam magis adhuc dissitos & ferociores populos se relegari prius patiatur, quam istum instituendi suos laborem occipiat? Quotusquisq; non ex indignatione oleum cum vasculo abjicere promtior, quam istud huic infundendo paratior est? Quotusquisq; deniq; alendo & munerando illi sumtus ferre potest, quem filiis suis per tot annorum

decur-

decursum præficere cupit, dum ipsi sine cortice natare valeant. Atq; ut de ipsis his privatis domesticæ juventutis doctoribus & ductoribus hoc unicum addam: quotus quisque illorum ea animi promtitudine & facilitate, ea literarum notitia & peritia, ea morum dexteritate & probitate, ea voluntatis bonitate & firmitudine, deprehenditur, ut & possit & velit tantum laboris, tantum studii, tantum temporis filiis istis familias, quibus præest, impendere, quantum eorum ætas, natura vel animus requirit?

β.) ex parte Præceptorū domesticorū.

Quæ difficultates tamen omnes in scholis publicis & Gymnasiis vel nullæ sunt, vel a prudente cujusq; regionis & civitatis Principe ac Magistratu prius emolliuntur, aut plane tolluntur, quam ab tot Patribus familias sentiuntur. Is enim de loci commoditate, de temporis intercapedine, de Magistrorum doctrina moribusq;, de sumtuum apparatu & ceteris, quæ ad formandam juventutem prærequiruntur, ex paterno, quo in suam affectus est Remp. animo, antequam ullus Civium suorum de tot negotii hujus circumstantiis cogitat, solet esse sollicitus.

d.) quibus ex prudentum Magistratuum cura, publicæ Scholæ sunt liberæ.

INgrediamur igitur jam illa bonarum artium Gymnasia, & dispiciamus, num circa intimiorem horum constitutionem major hominum observanda vel speranda sit convenientia. Primum autem quod ad extruendas hujusmodi Palladis ædes requiritur est Locus, quo figi & juventus literarum atq; virtutum vacare debet exercitiis.

Membr. III. De loco Gymnasiorum,

Nemo fortassis eo dementiæ se abripi patietur, ut credat, alio quam salubri terrarum & aëris tractu hæc Minervæ domicilia constituenda esse. Nam cum flos juventutis ibi singulis diebus congregetur; ibi magnam diei partem commoretur; ibi non raro per totum istud, quo institui debet tempus, noctes diesq; vitam agere jubeatur; prout in Jll: hoc nostro Gymnasio fieri consuevit: certe iniquissimus omnium judicandus esset ille, tum in Parentes eorumque filios, tum in ipsam Patriam, qui erudiendis adolescentibus, a quibus Majorum gloria, Parentum nomen, Posterorum salus ac vita, imo Reipublicæ æternitas quodammodo

1.) qui quin salubris sit, non nisi a pessimis in dubium vocatur.

pendent, eum data opera dispicere locum & suadere statoribus vellet, qui aëris malignitate, aut halituum ex terra nunquam non prorumpentium impuritate vel gravitate laboraret, & sessores suos præmature consumeret.

Sapienter enim Veterum Poëtæ Musas in saluberrimis Parnassi & Heliconis montium verticibus collocarunt, indicantes, quod, qui literis operam dare volunt & debent, iis de hujusmodi sede, quæ aëris puritate ac salubritate potissimum commendari mereatur, sollicite sit circumspiciendum. De hoc igitur vix quisquam Gymnasiis movebit controversiam.

1.) utrum in celebrioribus civitatibus sit eligendus nec ne? At vero utrum in celebrioribus illa civitatibus, & ubi Principum aulæ sunt, vel alia diversarum societatum collegia commorantur, debeant & commode possint locari, est quod homines etiam acutissimos & rerum usu præstantissimos in diversa plane sententiarum abripuit diverticula.

a) affirm. Quodsi ea consulimus tempora, quæ natum Christum aut antecesserunt, aut proximis insecuta sunt seculis, amplissimis quibusq; Civitatibus Palladis & Musarum domicilia fuisse instructa, historiarum monumenta facile testantur.

exemplis Vett. Possem heic proferre Athenas, commune totius orbis olim Gymnasium, Hierosolymas, Corinthum, Syracusas, Alexandriam, Antiochiam, Romam, Constantinopolin, & plures alias fama ac Civium numero decantatissimas urbes, maximorum Regum, Imperatorum, Cæsarum sedes splendidissimas, ubi totidem optimarum artium Gymnasia fuerant constituta.

De Carolo M. Imperatore illo nunquam satis laudando, quid dicam? nonne is pro singulari suo, quo in bonas ferebatur literas favore, pluribus iisque amplissimis locis scholas instituit? Instar omnium nominasse sufficiat miraculum

rationibus prudentũ hodienum viventium: istud urbium, Lutetias Parisiorum. Quid quod hodienum summi Viri, prudentia & multiplici eruditione nulli secundi, in eadem versentur sententia, illamq; variis rationibus munire & probabilem reddere connitantur.

1.) Dicunt enim, si Gymnasia in loco quodam celebri atq; in oculis tot tantorumq; virûm sunt extructa, vix esse metuen-

tuendum, ne ſacræ illæ myſteriorum cœleſtium, vel Legum ac morum aſſertiones cum aliis divinæ humanæque ſapientiæ partibus a male feriatis hominibus vel turpis lucri, vel oſtentationis vel aliarum frivolarum rerum cauſa corrumpantur; cum plurimi præſto ſint, qui dolos, technas, impietatem & malitiam, antequam latius ſerpant, attendunt & obſervant; contra in obſcurioribus & a celebritate remotis locis diu nonnunquam ac tuto peſſima illa hæreſium ac improbitatum ſemina ſpargi, vel neſcio quos non vanarum ſententiarum fumos divendi, adeo ut Reſp. citius ſe infectam eſſe lugeat, quam malum ſentiat eidemq; medeatur.

Porro ajunt, adoleſcentiæ ac juventuti nil magis convenire, iſtamq; nil magis commendare, quam morum civilitatem & eloquii promtitudinem; hanc vero utramq; nullibi locorum commodius & citius addiſci, quam in celebritate atque cum illis, qui tota ſua vita iſtud agunt, ut comtis moribus, docto item beneq; formato linguæ uſu aliorum favorem ineant, & laudes promereantur; horum autem numeroſam eſſe multitudinem in civitatibus illuſtrioribus aut ubi Principum aulæ ſplendent, & a Magnatibus Proceribusq; frequentantur. 2.)

Urgent præterea, literarum ſtudia, cumprimis ab Adoleſcentibus qualia tractari ſolent, multum auſteritatis & triſtitiæ, parum amœnitatis & jucunditatis ferre ſecum; ne igitur animi teneri obtorpeant, aut innatam ſuam agilitatem amittant, ipſiq; Adoleſcentuli minus tempeſtive ab iis abſterreantur, quibus tanquam magis ſeriis & plus utilitatis adferentibus olim invigilare tenebuntur, æquum eſſe, imo ipſam rerum harum naturam efflagitare, ut non obſcuris clauſtris coërceantur, & ab aliorum hominum commercio removeantur, ſed ut variis jucundæ converſationis delectamentis, & novis ſubinde objectamentis excitentur, & ad ſubſequentem laborem alacriores reddantur. 3.)

Quid verbis opus eſt? ipſi Vos, Viri honoratt: Teſtes eorum, quæ dixi, eſſe poteſtis; quandoquidem talia, imo

 hujus

hujus generis plura ex illorum ore, quos in summo rerum honorumq; fastigio collocavit fortuna, mecum percepistis.

β) negatur, aut in locis solis melius statui Gymnasia asseritur, Quid vero alii adhæc, aut quid Vos? Allatum ante fuit a nobis, Poëtas antiquorum Musas non in locis multitudine, purpura vel gemmis incolarum splendentibus, non in aulis, non in urbibus, non in circis amplisq; theatris collocasse; sed in editis & ab omni raucæ plebeculæ strepitu, tympanorum item ac tubarum clangore remotis Heliconis ac Parnassi apicibus, ad purum Pegasei Fontis laticem, inter viridantes fruticum arborumque svavitates. Certe infelix ille Sulmonensium vates scribere non veretur:

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

exemplis cœnobiorum omnium, Hinc postquam prioribus seculis experientia teste comprobatum fuit, Scholas & literarum Gymnasia in amplis si locentur civitatibus plus detrimenti, quam incrementi capere; monasteria & cœnobia in locis extruxere solis, eoq; omnem Musarum, literarum, scientiarum & doctrinarum præcipue Heilsbr. comitatum deduxere; quod tu, suavissimum Heilsbronnense cœnobium, fœcundissima doctissimorum & celeberrimorum virorum quam plurimorum mater, vel me tacente, comprobare poteris.

Quodsi dicerem, nunquam melius huic fuisse dulcissimo Salutis Fonti, accolisq; illius scientiarum siti flagrantibus, quam cum solis heic vivere licitum fuit, absq; numerosa hac hominum frequentia, cui cum literis nil est commercii, Vos ipsi judicate Viri optimi, num quid a Veritate remotum dicerem?

Non potest animus temperare sibi, quin doctissimi Testim. Vivis. lib. II. de tradt. disc. Hisp. Jo. Lud. Vivis verba huc cumprimis facientia, referat. Sic autem ille: *Sit locus Gymnasii separatus a frequentia, & potissimum Opificum; graves esse incolas atq; incorruptos velim, quos scholastici revereantur; non caupones, non malignos, qui ad pravas artes impellant; non sordidos & turpis lucri captatores; procul etiam sit a comitatu regio, & puellarum vicinia; alteri otio ac malis artibus invitant rudes animos;*

alte-

alteræ forma alliciunt ætatem blando illi malo obnoxiam. Consultius esset extra urbem constitui Gymnasium; nec publico itineri adjaceat, ne animi scholasticorum novitate commeantium avocentur ab opere instituto. Hactenus Vives. Ex dictis igitur abunde patebit, quanta sit hominum diversitas etiam in seligendo Gymnasiis apto Loco.

NUnc ad eos, qui docendi munere ibidem fungi debent, mea se convertit Oratio. Vah, quantopere heic rursus differunt judicia! Sunt qui ab eo, cujus labor in erudienda Juventute Gymnastica consumi debet, nimis amplam & diffusam, sunt qui nimis artam & macilentam quasi doctrinam requirere videntur. Membr. IV. de Docentibus 1. ratione doctrinæ, a.) quidam summe doctos,

Priores enim illi fere arbitrantur, quicquid vel divini, vel humani unquam traditur; quicquid in amplissimo Philosophiæ tam contemplativæ quam activæ campo deprehenditur; quicquid in vastissimo Mathematicarum Disciplinarum pelago volvitur; quicquid in abstrusissimis historiarum tum sacræ tum profanæ, tum singulorum, tum universorum Principatuum & Regnorum monumentis deprehenditur; quicquid in differtissimis Philologorum & Criticorum Voluminibus, ad Linguarum vel proprietatem & puritatem, vel copiam & divitias acquirendas faciens animadvertitur; quicquid deniq; in aliis Artibus notatu dignum conspicitur; illud omne in unum quasi acervum improbo labore congestum, intra penum ejus debere compingi & concludi, qui cum laude studiis adolescentiæ moderandis præesse vult: verbo, parum ab est, quin absolutissimos & perfectos illi requirant Polyhistoras.

Hi vero posteriores omne istud, quod masculæ cujusdam scientiæ nomen meretur, aut ad rimanda naturæ artisq; penetralia comparatum, aut alias ad illustrandas mentes aptum natum est, scholarum liminibus & Gymnasiorum studiose prohibent, satis esse dicentes, si scholasticæ pubi ad Classicum, quem vocant, Authorem intelligendum, vel ex vernacula in Latinam linguam quomodo aliquid transfer- b.) quidam mediocriter tales requirunt.

re, aut animi sui sensa expedite latino idiomate proferre debeat, intelligentiæ fax præferatur.

Inde adeo fieri solet, ut judicent, satius esse, atq; reip. magis proficuum, si homines mediocri literarum scientia tincti, in scholis docere, ac linguarum vel styli exercitamenta cum discentium ordine instituere jubeantur, sublimiora vero Philosophiæ vel Theologiæ penetralia ingredi iis non æque permittatur.

Eorum confutatur error, qui putant Authores classicos interpretandi peritiam levem esse.

Quod qui asserunt, primo in illo errore versari mihi videntur, quo complures existimant ad evolvendos castæ probatæq; latinitatis aut Græcæ linguæ Authores, quales aurea cujusvis, prout nominatur, ætas quondam tulit elegantissimos, nec non ad sensum horum exhauriendum levem aliquam singularum vocum aut formularum cognitionem sufficere.

Sed vero si dicendum quod res est, ex omni potius antiquitate, Legum, Rituum, Militiæ & Reip. administrandæ ratio, rerum item naturalium quamplurium & ex intima Philosophia sæpius petitarum scientia in subsidium omnino vocanda est ei, qui mentem illorum Scriptorum penitus assequi, nec inania vocum commenta pro rebus ipsis afferre, aut nubem pro Junone amplexari, vel amplexandam sistere aliis cupit. Ut omittam, quam varius historiarum, rerum, & scientiarum apparatus requiratur, si quis stylum, ejusq; diversas formas secundum artis præcepta rite exercere aliisque præscribere sustineat.

2. ratione vitæ ac morum.

quam partem a.) Vett.

Præterea quod vitæ modum moresq; attinet, inficiandum quidem neutiquam est, multos jam Priscorum ævo inter Græcos potissimum atq; Latinos fuisse, Patrum item ætate non paucos vixisse, quin hodienum in diversis Europæ terris Germaniæq; urbibus deprehendi, qui multo rationum pondere usi singulas fuse prosecuti sunt Virtutes, quibus elegans & bonus Juventæ Magister per omnia instructus esse debeat ac ornatus.

Possem heic ex Veteribus comprimis laudare Xenophontem, Platonem, Isocratem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam,

cam, Quintilianum, Plutarchum; ex Christianorum ordine verò Clementem illum Alexandrinum, Basilium M. Hieronymum, Augustinum, Lactantium; inter juniores autem vel primo loco nominandus esset, qui felicissime dicam an infelicissime Ecclesias per Germaniam refinxit, Martinus Lutherus, porro communis ille Germanorum Doctor Phil. Melanchthon, insuper Theologorum nostratium Phosphorus Chemnitius, nec non Gerhardus, Camerarius, Dietericus, Dürrius. b.) hodierni

Hi & plures alii, non enim omnes jam recensere collibet, uno ore in Juventæ Magistris jure meritoq; requirunt vitæ integritatem, ac innocentiam, quæ ex variis virtutibus plexa quædam est corolla. Nominant enim Pietatem, & Probitatem, Sedulitatem, Laborum Patientiam, injuriarum neglectum, sui abnegationem, paternum erga omnes, qui curæ ipsorum commissi sunt, animum, affabilitatem, in Bonos comitatem; in eos qui adolescentiæ vitio nonnunquam allucinantur, lenitatem; in alios profligatæ malitiæ homunciones, in pestes, in carcinomata, severitatem, animum obduratum, inexorabilem sanctionum constantiam, & quid non? fuse tradiderunt.

Quanquam autem hæc sanæ mentis homo, & qui Christianæ Reip. bene cupit, vix unquam negabit, dolendum tamen est, rerum exemplis & heic ingentem demonstrari posse sententiarum discordiam. c.) a quibus alii dissentiunt.

De illo enim jam non dicam, quod nonnulli sunt, qui cum juvenem bonis forte parentibus prognatum, sed malæ notæ, ac in Academiis lascivientem, ferocientem, paterna bona decoquentem, ganea frequentantem, pergræcantem vident vel audiunt, ut miserum ejusmodi hominem in viam reducant, tale capiunt consilium; esse illum in scholas tanquam in pistrinum dandum, ut aliquot annos ibi petulcam doceat adolescentiam; esse laboribus his attenuandum; animo frangendum, refingendum. Cum tamen de hac temeraria sane malis perversisq; animis medendi ratione illud omnino dicendum sit: Cautio est, ne ad morbum hoc etiam. Aperte enim cum palpabili ejus adolescentiæ periculo, quam institue- dum a.) corruptos in viam reducere tentant,

re

re ac fingere Nepos hujusmodi debet, iſtud conſilium conjunctum eſſe, quis non videt? Sæpe ex uno geminos imo multiplices factos eſſe nebulones, quis non arguit? Sed de hoc jam non dicam.

Illud autem alterum, cui non ſuſpiria, cui non lacrymas exprimeret? Nam ſunt, quorum hæc impudentiſſima eſt oratio: Quid ſcholis opus eſt viro bono? Prudentia præditi, Virtute præditi, ſcientiis præditi, ad curias, ad Remp. capeſſendam ſunt invitandi; In ſcholas mittendi, qui propter ineptias ſuas & perverſum vivendi morem nulli alii vacare poſſunt officio; ut ibi panem ſibi lucrentur atrum, quem ex jure vorent heſterno: cum non multum ibi proſunt, non multum etiam obſunt.

Quaſi vero tenellæ plantæ non longe majorem curam & diligentiam expoſcant, quam ramoſæ illæ, & quæ ad integrum jam robur excreverunt arbores? Quaſi vero parum interſit, quo primum odore vaſculum quoddam aut teſtam imbuas? Quaſi vero cereæ iſtæ animulæ opus habeant, qui non divini Numinis, non cœleſtis patriæ, non Virtutum, & bonarum artium imagines atq; characteres, ſed qui Satanæ, qui Mundi, qui Vitiorum & ſcelerum larvas tetrasq; figuras ipſis imprimant. Ehem ſtolidos, imo improbos, & ad corrumpendam juventutem non modo, ſed omnem Remp. natos factosq; homines! Ehem dira dicta, diris omnibus & aſperis verbis repellenda!

(4.) Officia docentium in ſcholis per contemtum negligunt, & abjectis adjudicant.)

Sed ut illuc revertar, unde ſumma quorundam perverſitas me abduxit. Ex his quæ de Docentium dotibus in medium attulimus, ſimul non obſcure dilucefcet, quantopere homines in deſignando ac limitibus quaſi poſitis terminando horum officio conveniant aut differant. Quemadmodum enim, ut de literarum cura primum dicam, nonnulli opulentiſſimum ſcientiarum theſaurum in eo, qui ſtudiis adoleſcentiæ præeſt, requirunt; nonnulli ſuperficiaria ſaltem doctrinarum, nec adeo multarum cognitione ſolent eſſe contenti: Ita hi anguſtiores utiq; terminos docentium officio præſcribere

(3.) ratione Officii. a.) quoad literas,)

con-

consueverunt, illi contra campum aperiunt amplissimum, in quo se tanta peritia ad sudorem usq; exerceat.

Deinde, quidam Veterum placita modo commendant & laudibus in cœlum tollunt, ceu purissimos & limpidissimos omnis doctrinæ fontes; alii vero ad ista potius nauseant, & nupera inventa plus salis, plus utilitatis habere credunt.

Hi Grammaticorum & Criticorum libros, tanquam Adonidis hortos, tanquam roseta & viridaria in oculis ferunt; isti velut asperrima senticeta & vepreta detestantur, & Juventutis cruces appellitant.

Illi non nisi Platonem, aut Demosthenem, aut Isocratem inter Græcos; ex Latinis non nisi Ciceronem, in scholis ferunt; huic soli sunt addicti, hunc unum magni faciunt, ab hoc uno Juvenes non magis quam viros pendere jubent. Quid alii? Liberas esse mentes ajunt, instar apicularum, huc illuc volitantium, & ex omnibus floribus, in quos incidunt, mella colligentium, & intra sua constipantium alvearia.

Videas heic non paucos, qui Philosophiam omnibus Gymnasiis more Dictatorum interdicunt, & eam solis Academiis servandam esse judicant; videas contra, qui omnem Pythagoricorum, Socraticorum, Platonicorum, Aristotelicorum, Pyrrhonicorum, Epicureorum, Gassendistarum, Cartesianorum, & Eclecticorum familiam ad Gymnasia non admittunt modo, sed iis etiam intrudunt.

Videas, qui utilissimum sane Matheseos studium angue pejus fugiendum esse statuunt, veriti, (hem risum quæso teneatis Amici!) ne perniciosissima Ἀθεότητος, quam sibi fingunt, semina bonarum mentium areolis inspergantur; alii nil nisi divinam Mathesin animo ferunt & ore, arbitrantes, hanc esse solam animorum Medicinam, scientiarum Reginam, Virtutum Magistram, vitiorum expultricem.

Videas quosdam eorum, qui Philosophiam huc admittunt, definitionum & divisionum aridis præceptis adeo tenaciter adhærere, ut adolescentes, nil minus interdum quam hæc cogitantes, promtissima tamen memoria recitare jubeant, & altiorem conscendere gradum in hisce subselliis religioni

gioni sibi ducant; Quidam vero disputationibus tantum tribuunt, ut vel rudimenta Philosophiæ hac controvertentium & disceptantium methodo tutissime facillimeq; addisci posse sibi non minus quam aliis persuadeant.

b.) quoad mores: quæ pars

Quodsi nunc ad alteram officii partem, cui pariter explendæ, qui diversis in Gymnasio quodam Discentium classibus præsunt, operam consecrare suam tenentur, progrederemur, & de ratione morum vel maxime in adolescentibus

1.) turbulentissimi maris similis,

emendandorum ista proferremus; quæ usu hactenus edocti plurima, sed adversis fere frontibus pugnantia in promtu habemus, novum quoddam mare, sed ventorum rabie, ac tempestatum procellis mire vexatum & flagellatum, imo innumeris monstrorum generibus quasi scatens ingressi nobis videremur, ubi portu facillimum esset egredi, navigatione vero nauseam creante, rursus illum invenire minus tutum, imo difficillimum deprehenderetur.

Nam non quemadmodum in domandis tenerorum, & quaqua versus calcitrantium, urgentium, mordentium equorum conatibus unam communi consensu approbatam sequuntur regulam; ita impetuosissimos adolescentiæ motus frænandi, vehementissimosq; Juventutis affectus moderandi viam eandem omnibus arridere sumus experti.

dum aliis adstricta, aliis laxa

Sunt quibus disciplina placet strictissima, & qui ne ad minimam quidem labascentis adolescentiæ nutationem connivendum esse clamitant: Sunt, qui fræna nimis laxant, & quocunq; fert impetus, ruere rerum inexpertes & temerarios juvenculorum animos patiuntur.

aliis neutra placet ratio.

Quidam hanc ætatem musti similem esse dicunt, quod ex omni parte conclusum, & ab aëre munitum, firmissimas etiam vasorum tabulas disrumpere consuevit; sed quando vel per unicum meatum aëri accessus & libera cum æstuante illa particularum fermentatione reciprocatio permittitur, facile continetur atq; tuto quaqua versum transportatur.

Quid multis vos moror? Singuli Parentes peculiarem expetunt suos regendi rationem, quam vel ex ingenio sibi

opti-

optimam fingunt, vel inordinato quodam erga filios amore ipsis exoptant. Quo fit, ut & heic locum habeat illud Nepotis ad Atticum: *Non eadem omnibus honesta atque turpia.*

Quantum autem laboris, quantum molestiæ, quantum fastidii, quantum nonnunquam dissidiorum & calamitatum hæc ipsa in regendis adolescentiæ moribus judiciorum diversitas dudum in Gymnasiis alias per omnia optime constitutis pepererit, & adhuc quotidie pariat, actum agerem, si jam pluribus persequi conarer, præsertim audientibus Vobis, VV. OO. horum, quæ dixi, & porro dicenda essent, peritissimis. Igitur ne tristem malorum, & præteritorum & futurorum, memoriam minus opportune refricem, silentii sipario cuncta ut involvam, utilissimum arbitror. hinc s.) plurima mala creat.

Constitueram quidem de Discentibus deq; iis, quæ ex parte illorum requiri solent, item de Legibus & sanctionibus, quarum vinculo Gymnastica quælibet societas contineri debet, nec non de prœmiorum & pœnarum scholasticarum varietate nonnulla proferre, ex quibus hominum, hæc talia ad judicii stateram explorantium, diversitas elucescere pariter posset, ut nimirum proposito nostro tanto magis respondeamus. Sed tempori, aut patientiæ potius vestræ vel attentionis benevolentiæ parcendum esse video. Aliis igitur ista, quæ modo tetigi, dicenda relinquam, qui pluribus eloquentiæ floribus illa conspergere, aut comtius de iisdem verba facere poterunt. Præteritio reliquorũ.

Ego interea illud aggrediar, cujus gratia tota hæc solennitas fuit instituta, ipseq; locum hunc conscendi. Valedicendum est. Sed quibus? DEOne? Neutiquam. Istud levissimorum, pessimorum, imo miserrimorum esse, omnes utiq; mecum confitebuntur. DEO non nisi gratiæ debentur, eiq; adhærendum est constantissime, non valedicendum. Quibus igitur? Serenissimis Principibus; Illustrissimorum Virorum personis, quorum Transitio ad Valediction: quæ non ad DEum, sed ad homines varios dirigitur.

 consi-

consiliis illi utuntur; Vobis, VV. OO. oo. hh.; Tibi florentissima studiosæ juventutis corona; huic dulcissimo Salutis nostræ fonti; & qui ejus amore tenentur, accolis.

Horum enim omnium tutamine clementissimo, gratia amplissima, favore exoptatissimo, benevolentia suavissima, affectu optimo plures annos uti fruiq; mihi fuerat concessum perquam liberaliter; nec dubito, quin reliquis temporibus eadem erga me mente sint futuri, modo diutius heic commorari liceret.

DEVS vero, DEVS, inquam, sapientissimus ille hominum plastes, & omnis nostræ vitæ, imo totius mundi, Gymnasiorum autem cumprimis prudentissimus Moderator, hinc alio me vocat. Quis DEO vocanti resisteret? quis ducenti non attenderet? quis jubenti non obsequeretur?

Nam si quicquam unquam affirmare sum ausus, illud heic publice Vobis omnibus affirmo, tantum abesse, ut de obtinenda hac provincia, cui administrandæ Numen O. M. nunc me destinat, vel cogitando fuerim occupatus, ut potius contraria quævis & expectarem, & viderem, & mens mihi divinaret, futuri sane nescia.

Ex Illustri enim Senatorii Ordinis Consessu apud Norimbergenses, quot quæso sunt, qui me vel nomine, vel facie tenus noverunt, aut quos ego novi? Neq; adhuc mihi constat, quibus DEVS ille prudentissimus fuerit usus, ad animos tot tantorumq; Virorum inflectendos, ut me patriæ, in qua multis abhinc annis non amplius versabar, restituerent, & ad tam ardui muneris provinciam præ ceteris evocarent. Abeundum igitur, quo divinus vocat nutus, qui tot luculentissimis se agnoscendum præbuit argumentis. Quid enim hominibus relictum est præter obsequii gloriam?

Vale dicitur enim,

QUocirca cum in limine jam sim constitutus, Vobis, Serenissimi Principes, Domini mei Clementissimi, DOMI-

NE-

NE CHRISTIANE ERNESTE, & DOMINE WILHELME FRIDERICE, quos DEVS summa cum potestate feracissimis hisce utriusq; Burggraviatus terris præfecit, & Jll. huic ad Salutis Fontem Athenæo Nutritores constituit munificentissimos, Vobis, inquam, tantas a me deberi gratias lubens confiteor, quantas si vel X. Nestorum annos emetirer, pro dignitate ac amplitudine Beneficiorum vestrorum, in me largissime collatorum, referre vix possem. 1.) Principibus Seren.

Etenim Serenissime WILHELME FRIDERICE, Parens olim Tuus Serenissimus, JOHANNES FRIDERICVS, qui dudum jam inter divos una cum duobus natu majoribus filiis suis quondam Serenissimis, & gratiosissimis Dominis meis, DN. CHRISTIANO ALBERTO & DN. GEORGIO FRIDERICO, perennibus cœli gaudiis fruitur, is, inquam, me puerulum, utpote non amplius VII. annos natum, per suos Onoldum vocavit, vocatum commodissime nutrivit, nutritum Musicæ potissimum artis notitia impertiendum curavit, & ut harmonicis in aula sæpius instituendis concentibus libentius interessem, multis tantoq; Principe dignis pollicitationibus excitavit, inter quas vel maxima erat, fore, ut, si literis essem aptus, earumq; amore tangerer, ad hunc præclarissimum Salutis Fontem Musis formandus doctrinisq; imbuendus mitterer.

Invidorum quidem malevolentia, & impurorum hominum scelera, multum moræ huic exoptatissimæ Principis Munificentiæ obtulerunt, impedire tamen penitus haud potuerunt, quin, DEO sic omnia dirigente, peritia Musicæ, quam dixi, artis, & singulari eorum, qui publice huic Athenæo maxima cum laude tum præfuerunt, benevolentia potissimum adjutus, inter eos cooptarer, qui literarum studiis heic vacabant, & largissimo communis mensæ beneficio enutriebantur.

In vestro igitur hoc, Serenissimi Principes, Gymnasio optimis artibus olim imbutum, porroq; academicis tinctum doctrinis quoniam publico huic Docentium

Ordini me clementiſſime adſcripſiſtis, & per XII. annos honeſtò formandæ Juventutis muneri præeſſe paſſi eſtis, atq; ſic contemplationibus meis ſcholaſticis, quibus deditus eram, rerum quoq; uſum veſtris ſumtibus addidiſtis, & ſic plurima ſi non omnia contuliſtis, quorum ſubſidio illum conſcendi gradum, quem inter tot integerrimos, perq; orbem literarium celeberrimos Viros divina mihi admenſa eſt Providentia; Quid eſt, quod mea tenuitas Vobis, tantis Heroibus, tantaq; veſtra in me immerentem Munificentia dignum rependere, aut infantia mea quo ſummas veſtras laudes deprædicare ſufficiat?

Gratum illum erga Vos, Domini mei Clementiſſimi, veſtramq; Domum Sereniſſimam animum nulla ætas, nulla temporum vel injuria vel commoditas, nulla ſive adverſa ſive ſecunda fortuna immutabit. DEUS Vos ſervet incolumes, tutos, felices. DEUS tuos, Seren. CHRISTIANE ERNESTE venerandos canos multiplici gaudiorum & tranquillitatis omnigenæ copia porro coronare non deſiſtat; DEUS tuum, Seren. WILHELME FRIDERICE, quo & Miniſtros & ſubditos omnes mirifice jam oblectas, Juventutis florem non modo marceſcere non ſinat, ſed maturrimos feliciſſimorum annorum quamplurium fructus largiſſima manu, ex ditiſſimo copiæ ſuæ cornu, in Te effundat; DEUS Hæredes veſtros, quos partim omnibus tanta tamq; ſplendidiſſima inter Germaniæ Proceres familia digniſſimis Virtutibus elucere non ſine maxima lætitia intuemini, partim peculiari Sumi Numinis Providentia, poſt annos non ita multos, uti ſperamus, uti vovemus, incomparabili veſtrarum terrarum hilaritate, ex fœcundiſſimo, quem jam apparari cives optant, toro tolletis, non modo ſoſpites conſervet, & illibatos ab omni mortis & ſortis injuria, ſed tantopere multiplicet, ut Sereniſſima Domus Brandenburgica inter

Fran-

Francones, dum temporum circulus perstabit, annorumq; fluxus continuabitur, eniteat, perennet. Sic florete, sic vigete, sic valete.

VOs Principum Amici, quibus illi intima credere solent sua: Principum Oculi, quibus omnem totius populi sortem circumspiciunt; Principum Aures, quibus Afflictorum querelas excipiunt & lamenta; Reip. Atlantes, Ecclesiarum Curatores, Scholarum Tutores; Vos, quorum prudentissimis publica Salus innititur consiliis; quibus encomiis Vos jam affabor, quibus votis salvere jubebo? Eorund. 2.) Dnn. Consiliariis.

Tanta me complexi estis benevolentia, cum favoris vestri limina primum tetigi, & in accuratiorem paulo notitiam sum admissus, ut verendum sit mihi, si amplitudinem illius inani verborum sono extollere coner, de Virtutibus vestris ne multum deteram; tantum abest, ut dignum istis sermonem a me inveniri posse credam.

Vos enim & olim adolescentiam, inde juvenilem meam ætatem, ac tandem operam, quam in Illustri hoc bon. artt. Lyceo pro virium tenuitate, præstiti, non solum benigne respexistis, sed prout occasio tulit, aut rerum status nonnunquam postulavit, Principibus ipsis tantopere commendastis, ut si publicam tanti Beneficii tantiq; Patrocinii deprædicationem hoc potissimum loco omitterem, ingratissimus utiq; forem dicendus.

Imo postquam rationes, quibus statione illa, cui hactenus invigilavi, discedere sum persuasus, vobis aperui, graves quidem illas duxistis, sed ægre a vobismet ipsis impetrare potuistis, ut ab Athenæo hoc vestro Serenissimorum Principum nomine & auctoritate me dimitteretis; quod utiq; non leve maximi erga me favoris argumentum mecum omnes judicabunt.

Quid dicam de publicis illis litteris, quibus fidem, qua muneris mihi clementissime commissi partes obii & explevi, quaq; versus ceteros, cum quibus una eram, usus fui, egre-

egregie probastis, atq; sic tum meam, tum aliorum conscientiam mire juvistis?

Præter preces vix quicqnam mihi hostimenti loco relictum est. Ex intimis animi adytis igitur imploro sapientissimum & potentissimum illud cœli Numen, vobis ut placidam erga quosvis bonos Cives, severam erga malos, prudentem in ancipitibus, erectam in adversis, æquam in secundis largiatur porro mentem, & quam cum aliis corporis, animi, fortunæq; bonis clementer largitus est, inconcussam usq; tueatur. Sic tantis Amicis Principes, tantis columinibus Resp. tantis Justitiæ Antistitibus Cives, tantis tutoribus Ecclesiæ, tantis Mœcenatibus Gymnasia literarum gaudebunt, exultabunt, lætabuntur. Hoc omine jam a Vobis, VV. Illustrisfimi, Magnificiq;, lætus de felicissimo eventu, discedo. Valete.

3.) iis, qui præsunt Heilsbr. Cœnob.

DEferor jam ad Vos, *VV. Max. Rev. Excellent. perquam Strenue, Præclarissime, Nobilissimi Doctissimiq;*, qui præcipua laude huic præestis loco, quosq; partim propinquitatis & affinitatis, partim sortis necessitudo mihi junxit amicissimos. Nam qui quæso committere possem, ut ego inde migrarem, Vobis insalutatis? Alia omnia prius facerem, hoc ut ne facerem.

Ceterum, quibus vel natura, vel casus nos invicem hactenus copulavit, ea missa jam faciam vincula; illud unicum meminisse juvabit, quando junctis viribus mutuas adhibuimus operas, ut Illustri huic Salutis Fonti, quam pridem in orbe obtinuit, fama porro constaret sua. Curavimus ut pubescentis hujus Juventutis flos ad majorem subinde animorum probitatem, & literarum amplitudinem perduceretur; elaboravimus, ut Patriæ novi præsto essent surculi, quos in locum effœtarum mox plantaret arborum; studuimus, ut Ecclesiæ Christi & Reip. de bonis, fidelibus aptisq; Viris opportune prospiceretur; verbo ut Summi Numinis Majestas tot Juvenibus veneranda sisteretur, omnia contulimus; rigavimus omnes, plantavimus omnes, DEUS pro clementissi-

tissima sua voluntate proq; auxilii divini copia laboribus nunquam non benedixit nostris, etiam cum oleum & operam interdum perdere nobis videremur.

Quidam enim nostrum hac, quidam alia tenebamur cura, prout cujusvis muneris ratio videbatur exposcere, omnes vero ad unum illud collineavimus punctum, ut huic succrescenti sub manibus nostris Parentum Optimorum soboli, & animo & corpore bene esset quam cumulatissime. Vah quam jucunda, quam exoptata mihi hæc erat consuetudo! Favor vester, amicitia vestra, suavitas in colloquendo, candor in obeundis Officiis plurimum sane de molestiarum acerbitate detersit, quas rigidæ nonnunquam cervices, aut homines plumbei insipidiq; creabant.

Utrum autem ex meo vivendi modo quicquam jucundi gratiq; in Vos vestrosq; defluxerit, meum non est dijudicare; istud affirmanti mihi credatis velim, VV. OO. voluntatem & animi promptitudinem studiis obsequendi vestris nunquam mihi defuisse, imo nec in posterum defuturam.

Quid enim mihi gratius accideret, quam si de Vobis, tantis Viris, qui me per complures hosce annos tam vario officiorum genere, beastis, cumulastis, devinxistis, etiam futuro tempore absens bene possem mereri?

DEus, quem ardentissimis jam fatigo precibus, vobis & familiis vestris splendididissimis semper sit propitius; adsit curis vestris quas pro Ecclesia proq; Rep. noctes diesq; suscipitis; adsit laboribus vestris quos in hoc literarum emporio posthac mane vesperiq; obibitis; adsit studiis vestris, quibus tot lectissimorum juvenum salutem promovebitis; adsit omnibus actionibus vestris, ut laudabilem illum scopum, quem intenditis, ex sententia contingant singulæ; sic vos dicemini felices, ego autem voti mei ero damnatus. Valete.

VAlete & Vos, *VV. pl. Rev. Amplis. atq; doctiss. Domini hospites* quos heic præter spem confluxisse video. Accidit sane illud perquam gratissimum, & vel ideo, quoniam 4.) Hospitibus,

c mihi

mihi sic locus est datus, ut, quæ inter nos bene hactenus coaluit, & vel colloquiorum amœnitate, vel negotiorum, si inciderant, collatione subinde crevit, amicitiæ porro constantissime a me servandæ tesseram vobis si non alia ratione, certe verbis, ex intimo cordis fonte profluentibus, possem offerre.

Nam quoties mei deinceps recordabimini, simul in mentem veniat, esse me illum, qui commoditatibus vestris etiam maximo meo incommodo provehendis omnem movere lapidem non gravabor, atq; pro incolumitate vestra supplices ad DEum fundere preces quanquam absens non desistam.

Quid enim ab Amicis jucundius proficisci unquam potest, quam ut more sanctissimorum quondam Virorum, multis precibus DEO, certissimo amicorum Patrono, se invicem commendent. Mihi certe nil erit antiquius, nil gratius, nil magis curæ cordiq;. Optima vero illa, quam de Vobis vestroq; in me animo concepi, spes, reciprocam bonæ mentis mihi facit expectationem. Sic utrinq; valebimus pancratice, basilice.

5.) Juventuti Gymnasii. TAndem o *lectissima florentissimorum Juvenum Corona*, quicquid est in me votorum reliquum, illud omne in te nunc effundetur abundantissime. Etenim si Parentes vestri, cum isti vel a vobis, vel vos ab illis avellimini, vix aliter animi sui sensum, quam monitis, precibus, votis explicare possunt; quid faciam ego? præcipue nunc? cum vos relinquendi, mihi vero abeundum est; mihi, qui certe paterno amore in singulos vestrum nunquam non fui affectus.

Sane plerosq; omnes vos, prout nostis, quotquot hic adestis, paucis exceptis, formavi primitus, institui, docui, monui; siquos ad amplam vitiorum viam interdum deflectere animadverti, omnino cum cura, coargui; qui Virtutum & diligentiæ callem fuerant ingressi, collaudavi, & ad majores in hoc itinere progressus faciendos sum cohortatus; more solliciti Parentis, & pro ratione muneris, a DEO per

Sere-

Serenisſimos veſtros Principes mihi clementisſime commiſſi. Aliter ſi me geſſiſſem; invaleſcente morum & ſocordiæ veterno, ſi pariter obtorpuiſſem; aut probos & ſedulos ſi obtriviſſem, vah! quantus irarum, quantus pœnarum in me tandem rueret cumulus? nunc illæſa conſcientia, quantum humana permittit imbecillitas, a vobis diſcedo.

Quin, ut certiſſimum mei in vos animi argumentum habeatis, ecce, abiens jam, adhuc tamen veſter, commendo vobis Pietatem; eſt enim fons omnis ſapientiæ: commendo probitatem; emollit enim durisſimas quasvis cervices: commendo Temperantiam, cum filiabus, frugalitatem dico, ſobrietatem & continentiam; faciunt enim plurimum ad animi corporisq; firmitudinem obtinendam: commendo ſedulitatem; hac enim docti evadetis & eruditi: artem commendo obſecundandi; hac enim prudentes & omnibus accepti efficiemini: commendo tandem mutuum amorem; is enim cujusvis ſocietatis vinculum eſt & copula firmisſima.

Boni conſulite, quæ moneo, cum veſtræ ſalutis cauſa moneam, quæ mihi etiam abſenti, ſi de illa fuero certior factus, lætitiam creabit ineffabilem. Valete, Juvenes chariſſimi, DEO, ſi quidem iſtum ex animo diligitis, pariter dilectisſimi: Valete!

NUm & Tu, o mea Heilsbronna, *fœcundiſſima bonarum mentium nutrix, Fons ſalutis meæ limpidiſſime, ingens harum terrarum κειμήλιον*, num & Tu ultimum a me expectas Vale? Jure omnino expectas. 6.) Heilsbronnæ.

Me enim Puerum ſuſcepiſti, Adoleſcentem foviſti, Juvenem dimiſiſti, Virum recepiſti, & nunc, poſt commodatos tibi XII. annorum labores, denuo, bona quidem pace, quod utique gratus agnoſco, ex ſinu diſcedere pateris tuo longe ſuavisſimo.

Hem, accipe, quo te jam abiturus impertior, Votum. Vale contra omnem omnium ventorum rabiem; DEVS te ſervet! vale contra omnes blandientis & ridentis fortunæ in-

ſidias; DEVS te ſervet! vale contra omnes aſtutisſimi Virtutum & bonarum artium hoſtis, Diaboli, dolos, technas, fallacias; DEVS te ſervet!

Epilogus abſolvitur voto

SErva quæſo, DEVS clementiſſime, ſub alarum tuarum umbra ſedem hanc, quam olim Pietati, precibus, divino cultui, virtutibus, literis, bonarum mentium culturæ, malarum polituræ, pientiſſimi Principum noſtrorum Majores dedicarunt, inſtaurarunt, ipſiq; hactenus foverunt. Serva illis hanc mentem, & fac, ut *Illuſtre hoc Athenæum* ſit perennis quidam Salutis fons, ex quo ſalus in Eccleſiam tuam, ſalus in Rempublicam, ſalus in Principum aulas, ſalus in Procerum familias, ſalus in privatorum domicilia, ſalus in ſenes, ſalus in juvenes, ſalus deniq; in omnes illos, qui ſincero eum amore proſequuntur, aut etiam accolunt vel incolunt, imo & ſalus in iſtos, qui livido illum inſectantur dente, ut maledicere tandem aliquando deſinant, ſe diffundat quam prolixisſime, quam diutisſime.

DIXI.